



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. Quomodo Christus infans exercuerit actus internos humilitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

qua, quam in vinū optimum conuertit. quanta non solum potentia, sed & quāta benignitas, quāta liberalitas Saluatoris sex hydrias vini optimi miraculosè producti in his nuptijs carnalibus, pro accepto haustulo reddentis, & conuiuis omnibus liberaliter offerentis, at quantò maior eiusdem potentia, benignitas, liberalitas in nuptijs spiritualibus animæ in cellam vinariam introductæ propinantis totidem hydrias præcipuarum virtutū, charitatis in Deum, misericordiæ in proximos, zeli gloriæ Dei & salutis animarū, deuotionis, gratitudinis, obedientiæ seu perfectæ resignationis!

O quoties sponsus cœlestis stans ad ostium cordis tui & pulsans, tibi has easdem propinare desiderat! quin ergo confestim eum intromittis, conuiuium-que sanctorū desideriorum proficiendi in prædictis virtutibus illi instruis? Amor Christi, zelus in his virtutibus proficiendi.

Quomodo Christus infans exercuerit affectus internos Humilitatis.

II.

I. **E**Xpende, quomodo Verbum infans in præsepio vagiens, in matris gremio lactens, iam tunc inculcans nobis exemplo, quod docturus erat verbo:

Matt. 11. verbo: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: exercere perrexit, sicut in primo instati cōceptionis ceperat, profundissimæ humilitatis actus internos, videlicet 1. quoad conditionem humanæ naturæ præcisè spectatæ vilem se agnoscendo & reputando. 2. talem se ab omnibus haberi volendo & optando. 3. vilissimum se secundum id, quod ex humana natura haberet, reputando, & talem se reputari gaudendo: omnia dona naturæ, gratiæ & gloriæ humanitati suæ collata diuinæ liberalitati in solidum ascribendo, atque ita infra omnes se humiliando: idque quàm perfectè secundum omnem dimensionem, scilicet quàm latè quoad extensionem ad omnia eius obiecta; quàm sublimiter, quoad intentionis puritatem, & actuū intensionem: quàm longè quoad desiderium eos continuandi æternum: quàm incomprehensibiliter seu insatiabiliter, quoad heroica supra vires desideria: Et quidem absque dubio tantò perfectius, quantò clarius prævidebat 1. Humanæ naturæ secundum se solam spectatæ abyssalem vilitatem, & nihilitatem quoad esse, posse, operari in naturalibus, & supernaturalibus. 2. Summam eius fragilitatem, & ad omne malum propi-

pronitatem , ita vt verè secundum D. Solil. 15. August. non sit peccatum , quod fecit homo , quod non faceret alter homo , nisi præseruaretur ad eo , à quo factus est homo. 3. Omnimodam eius à Creatore & conseruatore Deo dependentiam à quo habet , quicquid habet boni , & per quem non habet , quicquid non habet mali . In quem denique finem ? nempe , vt hic gloriam æterno Patri ab hominibus ablatam restitueret , superbiam nostram expiaret , ad sui imitationem prouocaret , gratiamque ad id necessariam impetraret. His expensis , gratulare Christo , & gratias age pro tot tamque heroicis actibus humilitatis amore tui elicitis , eisdemque eius exemplo elice in præsentem per plura , vel pauciora suspiriorum genera , iuxta Industrias meditandi c. 7. §. 1. 3.

II. Quomodo indoluerit eosdem internos humilitatis actus tam parùm , tam rarò , tam imperfectè ab hominibus vsurpari ; è contra tot tamque grauibus peccatis superbix diuinam Maiestatem offendi : dubio procul tanto intentius , quanto euidentius perspiciebat infinitam diuinæ Maiestatis excellentiam , cui summa submissio deberetur : extremam hominum vilitatem , ignorantiam , fragi-

fragilitatem, malitiam, quæ omnem cō-
fusionem contumelia m̄que promerere-
tur. His consideratis, subiunge actum
similem compunctionis, seu elice a-
ctum humilitatis, quoad tempus præte-
ritum. Vide ibid.

III. Quàm ardentem proposuerit eos-
dem actus internos tota reliqua vita
continuaré: actus externos suo tempo-
re simul cum internis coniunctos fre-
quentare in objectis maximè arduis, id-
que purissimè, intensissimè, constantis-
simè, insatiabilissimè: simulque omni-
bus affectu, verbo, & facto ipso intimè
huius humilitatis imitationem incul-
care? His similiter expensis elice eosdem
actus humilitatis in futurum, cum pro-
positis practicis hos vel illos actus hu-
militatis internos & externos, hac vel
illa oblata occasione perfectè exercen-
di. Vide ibid.

Idem modus discurrendi & affectus
prolixius excitandi seruandus est in se-
quentibus.

III. *Quomodo B. V. eosdem humilitatis actus
eodem tempore frequentârunt.*

I. **E**Xpende, quàm perfectè B. Mater
& Virgo, intuens filiolum suum in
præse-